



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Proponuntur Hebræorum, & Hæreticorum errores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

perfectionem necessitatis moralis; unde argumentum Christi Domini ita procedit; si vos, cum sitis mali, annuitis Sympathicæ ei inclinationi naturaliter beneficiendi Filiis, Pater vester cœlestis, qui malus esse non potest, nec infidelis in promissis, cum per suam liberam voluntatem promiserit benefacere creaturis, & dare Spiritum bonum petentibus se; quanto magis annuit ipsi inclinationi elicite? in hoc enim est tota vis argumenti, ex qua neutiquam inferitur, sed potius eliminatur à Deo quæcumque moralis necessitas. Ex dictis

176.

Fit. 1. non solum in hac providentia, in qua Deus decrevit nunquam conjungere gratiam sanctificantem cum peccato lethali, verum etiam in alia providentia, & independenter ab ullo decreto libero Dei, gratiam habituales nunquam conjungendam esse cum peccato lethali, si Deus velit se accommodare exigentiæ ipsius gratiæ; quia, ut diximus in tractatu de gratia; gratia habitualis licet non habeat metaphysicam oppositionem cum peccato, habet tamen oppositionem ex natura rei; unde si Deus non excluderet peccatum à subiecto, in quo reperitur gratia, cederetque juri per peccatum acquisito, ageret contra naturam gratiæ; quare ex generali etiam decreto, quo voluit in hac providentia se accommodare rerum exigentiis, præterquam in aliquo casu rarissimo, inferri quoque potest, gratiam regulariter non conjungendam cum peccato; ideoque peculiare decretum circa gratiam tendit ad impedendam eam conjunctionem etiam pro peccato rarissimo.

Fit. secundò, quomodo inferenda sit certitudo de eo, quòd Beatissima Virgo non contraxerit peccatum originale ex præcisa suppositione, quòd Deus eam elegerit in matrem; dupliciter enim id fieri potest, primò quidem per congruentias, nam congruum est, ut Mater Dei purissima sit, nec ulla peccati labe infecta, quòd tendunt plura Patrum testimonia, secundò per indecentiam, quæ refunderetur in Deum; Christus enim, qui verus Deus est, est etiam verus Filius naturalis Deiparæ; unde ex titulo Filiationis naturalis teneretur Filius Matrem liberare, quando potest, à maxima ipsius ruina, peccatum autem originale est maxima ruina, & detrimentum animæ; unde si Matrem non liberasset, hæc indecentia aliquo modo videretur refundi in Filium, quod metaphysicè repugnat, ex quo inferunt decretum eligendi Mariam in Matrem fuisse decretum eam præservandi ab omni culpa; cumque decretum istud extiterit in Deo, nullum est excogitabile, quo peccatum originale contraxerit, aut commiserit, quòd tendunt plura testimonia, & argumenta Theologorum. Cæterum si nulla in Deum refunderetur indecentia ex eo, quòd non ita præservasset Matrem, quam elegerat, nec ullo titulo teneretur ex vi electionis ad talem præservacionem, non potest formari efficax argumentum ex indecentia, quòd refunderetur in Deum, ac proinde tunc recurrendum esset, ut alii faciunt, ad id, quòd Deus in hac providentia decrevit circa Matrem suam, quòd inferendum est ex testimoniis scripturæ, conciliorum, & Theologorum.

DISPUTATIO V.

AN VERBUM DIVINUM SIT INCARNATUM?

SECTIO I.

Proponuntur Hebræorum, & Hæreticorum errores.

178. **P**ostquam de possibilitate, convenientia, & necessitate Incarnationis egimus, superest agere de existentia hujus Mysterii, quam Fides Catholica docet; onus hoc peculiare est Theologorum, cumque ad nullum alium Theologiæ tractatum spectet nisi ad hunc, ut optimè notavit Exim. Doctor, ideò locum proprium hic sibi vendicat; cæterum, quia contra hoc Mysterium Pagani, Hebræi, Hæretici pugnarunt, & pugnant, ostendenda contra eos est Catholica veritas; Hebræi, qui solum admittunt testamentum vetus, ex ejusdem testimoniis sunt impugnandi, Hæretici verò admittentes utrumque, ex utroque convincendi sunt. Pagani verò & verus, & novum testamentum respicientes signis credibilitatis nostræ Fidei, & naturalibus rationibus inducendi sunt ad hanc veritatem agnoscendam. In hac disputatione colligemus errores omnium, & Judæos præsertim impugnabimus, in sequenti autem Paganos & Hæreticos.

Suppono 1. Mysterium Incarnationis, quòd Fides Catholica proficitur, in eo stare, quòd Verbum Divinum sibi assumpserit humanitatem per substantialem unionem, quo fit, ut aggregatum ex Verbo, & humanitate sit verus Deus, & homo, & exinde humanitas illa dicitur unita Divinitati. Hoc olim Deus promiserat per Prophetas, & ut ait Apostolus ad Gal. 4. *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hunc Dei Filium, nempe Deum simul, & hominem vocamus hebræicè Messiam, Græcè Christum, Latine unctum; cæterum, quia Hebræi non solum negant, Messiam venisse, sed etiam contendunt, futurum esse purum hominem, ad confirmandam contra ipsos veritatem Catholicam ex veteri testamento, quòd ipsi admittunt, conveniunt cum ipsis in hoc, nomine Messias significat.

significari quemdam hominem ex genere Judæorum ducentem originem à Deo, & Prophetis prædictum, & promissum in Regem, & Salvatorem hominum. Ex his autem promissionibus, quæ frequentes sunt, & apertæ in sacra Scriptura, ostendendum est contra ipsos, Messiam jam venisse, & non esse duntaxat hominem, sed & Deum.

180. Supp. secundò, vix esse ullum Fidei nostræ Mysterium pluribus erroribus impugnatum ab Hæreticis, Judæis, & Ethnicis, quàm istud, & quidem à primo Ecclesiæ sæculo, & modò dicunt Athei pluresque Ethnici, impossibile esse Deum incarnari. Athei nimirum, quia Deum insipienter negant; Ethnici verò, quia tantam Dei dignationem impossibilem judicant; à primo etiam Ecclesiæ sæculo negarunt, & per fidem negant Messie Divinitatem Judæi, quos sequuti sunt Cerinthus, & Ebion; secundo sæculo negarunt divinitatem Christo Domino Helesæi solis Adoratores, Carpocrates Gnosticorum Antesignanus, & Theodorus Byzantius Christianæ Religionis desertor; de Hermogenis, aliorumque erroribus ad istud sæculum spectantibus dicemus num. 181. Tertio sæculo Paulus Samolatenus, ut placeret Zenobiæ Palmirenorum Reginæ judaizanti negavit Christo Domino divinitatem; quarto sæculo Arrius docuit, Verbum Incarnatum non esse Deum, sed creaturam quamvis ab æterno existentem. Photinus verò Sirmienensis Episcopus, ut Arrium, & Ecclesiam Catholicam simul impeteret, docuit, Verbum ante Virginem non extitisse revera, sed tanen modo prævisione, & prædestinatione.

181. Quinto sæculo Nestorius oppositis erroribus ductus negavit veram Verbi Incarnationem; Nestorius enim negabat physicam substantialem Unionem, admittens solam moralem Unionem Verbi cum humanitate ad eum modum, quo vi amoris dicitur amans unitus cum amato. Unde aiebat, dari in Christo duas Personas. Sexto sæculo hæresim, quam sub finem quinti sæculi conceperat, ausus est proflare Petrus naphæus, seu Græci cognominis interpretatiōne Fullo Antiochenorum Antistes docens, totam Trinitatem incarnatam.

182. Usque ad hoc tempus nullus Hereticorum Mysterium Trinitatis, & substantialem Incarnationem admittentium amplexus est talem errorem, nam Hermogenes Prazias Sabellius, Noëus, & sequaces negabant Mysterium Trinitatis, & DEUM unam tantum Personam docebant, quæ, aiebant, ut Creatrix appellatur Pater, ut incarnata, & patiens Filius, ut sanctificans Spiritus Sanctus, atque exinde inferebant, incarnato, & passio Filio Patrem etiam, & Spiritum Sanctum fuisse incarnatos, & passios; quare Noëranos, & ejus farinae Hæreticos Græci nominarunt Theoparchitas, & Patroparchitas, id est Deipassianos, & Patripassianos, ut ex antiquis, & novis Hæresio-logis constat. Fullo verò pro variis temporalibus, varios etiam errores amplexus est,

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

nam aliquando admisit cum Nestorio Personam creatam, quæ passa est, aliquando sequutus est Sabellium, & aliquando alios hæreticos, ut Sanctus Quintianus Asculanus Episcopus literas ad eundem Napheum, seu Fullonem datas sic orsus fuerit; multifariam, multisque modis à veritate clarissime deviasti.

Septimo sæculo Machumetes licet fastus sit, Christum Dominum Prophetam esse excellentissimum, & Messiam in veteri lege promissum, at Deum esse perfidè negavit in gratiam Judæorum. Ex prædictis erroribus partim aliqui per diversa sæcula defuentes mixtos alios errores excogitarunt. Manichæi enim negarunt Christo Domino corpus verum, & reale, & phantasticum duntaxat concesserunt; alii verò concesserunt corpus verum, & reale, sed negarunt corpus mortale, & passibile; alii somniarunt, Christum non esse hominem completum, sed caruisse animam, cujus munere Verbum Divinum fungebatur, alii censentes, mentem ab anima distingui, concesserunt animam, non mentem; ideòque aiebant Verbum mentis munus obijisse; quibus valde affines fuerunt Monathelitæ, qui licet agnoscerent in Christo duas naturas, at admittebant unam tantum voluntatem, & unam operationem. Felix, & Elipandus Nestorium sequuti, & affectivam duntaxat unionem inter Verbum, & humanitatem admittentes concedebant, in Christo duos esse Filios, naturalem, & adoptivum; Ubiquistæ unum tantum Filium, & substantialem unionem admittebant, errabantque dicendo, Christi corpus, & animam esse ubique. Valentius tandem somniavit, carnem Christi non fuisse de Virgine sumptam, sed de cælo descendisse, & pertransisse per Virginis uterum, sicut aqua per canalem.

Sæculo 16. proximè elapso supra dictum Fullonis errorem, pluresque alios diu jam sepultos in Luthero, & Calvino revixisse eruditè probat. P. Jacobus Gualterus in Chronologia sæculo 5. cap. 24. videri quoque potest Alphonsus Castro lib. 4. adversus hæreses Verbo Christus; eod. sæculo Michaël Servertus, & postea Faustus Socinus, qui ad usque 17. sæculum præfens vitam duxit, impiè negarunt, quòd Christus Deus sit verus, & realis Deus, licet possit dici Deus ratione dignitatis, & potestatis, quam Deus summus omnino æqualem illi contulit.

Has omnes hæreses suo loco impugnabimus, quando agemus de Christi Domini humanitate voluntate operatione, Filiatione, & Maternitate Deiparæ; cæterum quia omnium harum hæresum duplex est origo, primò, quòd Messias in lege promissus nondum venerit, vel quòd si venisset, non erat promissus, ut Deus sed ut homo, vel non ut homo, sed ut Deus; secunda, quòd Messias in lege promissus, qui jam venit, non erat secunda ex tribus Personis SS. Trinitatis; idcirco in ista prima disputatione hanc duplicem hæresum originem refutabimus,

H h 2

mus,

mus; corruente siquidem harum hæresum fundamento, & hæreses ipsæ facile corruent. Possumus autem etiam ad convincendos Hebræos arguere ex signis credibilitatis sanctæ nostræ fidei, quæ dedimus in tractatu de fide; hæc enim, si rectè expendantur, nullam habent congruam solutionem, ut dicemus num. 191.

SECTIO II.

Stabilitur, & roboratur Catholica veritas contra Hebræos.

186.

ASsero 1. Messias in lege veteri promissus jam venit. Probat 1. quæ Deus in veteri testamento revelavit per Prophetas de Messia venturo, ita adimpleta sunt in Christo Domino, ut secundum omnes notas, & circumstantias prædictionum soli Christo Domino convenire possint, ad eum modum, quo notæ individuales unius hominis illi soli conveniunt; sed exinde deducitur, revelationes illas esse à Deo juxta illud Isaia: *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dii estis vos*, ac proinde quod Christus est verus Messias in lege promissus, qui jam venit: ergo &c. Minor, & consequentia tenent; major probatur: de Messia dictum erat Isaia 2. quod nasciturus erat ex Virgine; quod ita factum esse constat & Matth. 1. & Luc. 1. Michea 5. Bethlehem Juda erat locus destinatus Nativitati, quod ita contigisse constat ex Matth. 2. prædictum etiam erat Isaia 2. nasciturum fuisse tempore pacis, & sap. 9. tempore noctis & Matth. 3. ingressurum fuisse templum paulò post nativitatem, quod ita contigisse constat ex Luc 2. Rursus Isaia 35. prædictum erat, Messiam operaturum miracula sanando cæcos, & mutos, surdos, & claudos, quod ita factum esse constat ex Matth. 11.

187.

Præterea Isaia 61. prædicta erat Messia prædicatio, & cap. 66. vocatio gentium, quæ prædicta jam erat ab eod. Isaia cap. 59. erat etiam prædicta Judæorum reprobatio; Jerem. 19. quæ omnia completa esse per Christum, & ejus ministros non solum constat ex nostro testamento, sed & ipsâ experientiâ. Dictum etiam erat Zachar. 9. Messiam ingressurum Jerusalem super Asinam, & super pullum Asinæ, quod adimpletum esse constat ex Matthæo 2. Messia mortem, & passionem prophetaverat David Psal. 3. Ascensionem Psal. 67. & Mich. 2. adventum Spiritus Sancti Joel 2. quæ omnia adimpleta esse testantur omnes Evangelistæ, & comprehensa sunt in symbolo Apostolorum, ubi etiam comprehenditur secundus Christi adventus in Judicii die, qui prædictus fuit ab Isaia 67. ad quem adventum attinent Prophetiæ, quæ dicunt, venturum esse Messiam in gloria, & Majestate, unde quæ attinent ad primum adventum, jam completa sunt in Christo, eumque designant, sicut notæ individuales unius hominis illum solum

designant, eique soli conveniunt: nullus quidem homo invenietur in historiis præter Christum Dominum, cui hæc omnia conveniant; ergo &c.

Hæc prima probatio, si bene expendatur indissolubilis est, eamque indicavit Christus Dominus Matth. 11. quando nuntiis à Joanne Baptista missis, ut ipsam interrogarent: *tus, qui venturus es, an alium expectamus?* Respondit. *Euntes nuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; ac si aperit diceret, ut me esse Messiam promissum cognoscatis, in me, & per me impleta esse, quæ de Messia prædicta sunt, considerate. Sic Apoc. 2. V. 10. Testimonium enim JESU est Spiritus Prophetia. Et certe quod Christus ex Judæis fuerit natus, eisque prædicaverit, & apud eos mirabilia operatus fuerit, & quod ab ipsis interfectus, & crucifixus fuerit, nec ipsi Judæi negant, nec negare possunt, cum res istæ toto orbe fuerint notissimæ. Unde quoad hæc omnia non possunt Hebræi negare fidem Evangelistis, quasi falsis historicis; quandoquidem scripserunt res gestas eo tempore notas, ut nullus illius temporis scriptor probatus ausus fuerit eas impugnare, quin potius Josephus eorum historiographus plurima ex his, & quidem præcipua omnium memoriæ prodidit lib. 18. antiquit. cap. 4. ubi gravissimum testimonium reddit, quod ita habet; *eodem tempore fuit JESUS, vir prudens, si tamen virum eum fuisse dicere; erat enim mirabilium operum parator, Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quam gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cum addidisset Crucem, nihilominus non desisterunt eum diligere, qui ab initio ceperant. Apparuit enim eis tertia die vivus ita, ut divinitus de eo veteres hoc & alia multa miranda dixerunt; ipsique Judæi veritatem omnium horum facile agnoscerent, si tantum reflectant ad gravissimum supplicium, quo ab eo tempore semper puniantur.* Probat igitur argumentum ex supplicio Judæorum, qui vel inviti experiuntur delicti sui penam, & perpetuam desolationem à Daniele, Jeremia, & aliis Prophetis prænunciatam, quamquam enim propter sua peccata sæpè sunt puniti à Deo, & in servitutem traditi, ac præcedebant semper aliqua publica, & communia peccata præsertim Idololatriæ, aut necis Prophetarum, quin & captivitates, & pœnæ brevi tempore sinebantur, atque in eis habebant Prophetas & sanctos viros, per quos Deus exhibuit aliqua benevolentia signa, & præbuit semper evadendi spem, dum ipsi observando legem suam ad Deum conveterentur, nunc verò ab eo tempore, quo venit Christus, licet illam legem diligentius observent, siquidem nec colunt Idola, nec habent graviora scelera moralia, quam antea habebant, nulla illis evadendi*